

nis anima gratiam suscepit per quam immunis à peccato originali esset.

Sed contra. In partibus hominis est talis ordo quod anima est Deo propinquior quam corpus. Sed virtus alicujus agentis prius pervenit ad ea quæ sunt sibi propinquiora, & per ea ad magis distantia. Ergo gratia sanctificationis à Deo venit ad corpus per animam: ergo antequam animaretur, sanctificari non potuit.

Præterea. Contraria nata sunt fieri circa idem. Sed gratia sanctificationis præcipue originali peccato opponitur. Cum ergo ante animationem in prole peccatum originale non esse possit, quia proprium subiectum culpæ est anima rationalis, videtur quod ante animationem beata Virgo sanctificata non fuerit.

### QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod nec etiam ante natiuitatem ex utero. Sicut enim dicit Augustinus ad Dardanum (epist. LVII.) *Sanctificatio qua singuli efficiuntur templum Dei, non nisi renatorum est. Nemo autem renascitur nisi prius nascatur.* Ergo nullus habet gratiam antequam nascatur. Sed sanctificatio est effectus gratiæ. Ergo beata Virgo in utero matris sanctificata non fuit.

2. Si dicatur, quod est duplex natiuitas, scilicet natiuitas in utero, quæ conceptio dicitur, & natiuitas ex utero, quæ communiter natiuitas nominatur: & beate Virginis regenerationem sanctificationis præcessit natiuitas in utero, sed non natiuitas ex utero: Contra. Dominus Joan. III. 7. generationem spiritualem, quæ est ex aqua, & spiritu, vocat secundam, dicens: *Oportet vos nasci denuo.* Sed si duæ natiuitates carnales præcessissent, spiritualis non diceretur secunda, sed tertia. Ergo non est duplex natiuitas, ut dictum est.

3. Præterea. Beatus Hieronymus (a) dicit: *Non mihi credas, si tibi aliquid dixero quod ex veteri, vel novo testamento haberi non possit.* Sed de sanctificatione beate Virginis in utero nihil dicitur in veteri vel novo testamento. Ergo non est credendum eam in utero sanctificatam fuisse.

Sed contra. Ecclesia non solemnizat nisi pro aliquo sancto. Solemnizat autem natiuitatem beate Virginis. Ergo beata Virgo sancta nata fuit. Ergo antequam ex utero nasceretur, sanctificata fuit.

Præterea. Lucæ I. 15. de Joanne Baptista dicitur: *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris sue.* Sed plus gratiæ collatum est beate Virgini quam alicui sanctorum, ut in littera ex verbis Augustini (de nat. & grat. cap. xxxvi.) dicitur. Ergo beata Virgo adhuc in utero matris Spiritu Sancto repleta fuit: ergo & sanctificata.

### SOLUTIO I.

Respondeo dicendum, quod, sicut dicit Dionysius XI. cap. de divin. Nomin. sanctitas est ab omni immunditia libera, & perfecta, & immaculata munditia: unde cum sanctificari sit sanctum fieri, oportet quod sanctificatio emundationem ab immunditia spirituali ponat, prout nunc de sanctificatione loquimur. Emundatio autem à spirituali macula, scilicet culpa, sine gratia esse non potest, sicut & tenebra non nisi per lucem fugatur: unde sanctificatio tantum ad eos pertinet qui gratia capa-

Ex Edit. P. Nicol. (a) Nec Hieronymi stylum redolet, nec ullibi occurrit apud illum; sed huic aliquo modo revocari potest quod in Aggeum cap. I. ait, *percuti gladio Dei quæ absque Scripturarum testimonio confingitur*: & in Matth. XXI. quod non habet auctoritatem de Scripturis, eadem facilitate contemni qua probari.

ces sunt: & quia proprium subiectum gratiæ est rationalis natura, ideo ante infusionem animæ rationalis beata Virgo sanctificari non potuit, &c.

Ad primam ergo quæstionem dicendum, quod nullo modo in parentibus sanctificari potuit, neque etiam in ipso actu conceptionis ejus. Condicio enim specialis personalis à parentibus in prolem non transit, nisi sit ad naturam corporalem pertinens, ut grammatica patris in filium non transit, quia perfectio personalis est. Unde & sanctificatio parentum in beatam Virginem transfundi non potuit, nisi curatum esset in eis non solum id quod personæ est, sed etiam id quod est naturæ, in quantum hujusmodi: quod quidem Deus facere potuit, sed non deuit. Perfecta enim naturæ curatio ad perfectionem gloriæ pertinet & ideo sic in statu viæ parentes ejus curati non fuerunt ut prolem suam sine originali peccato concipere possent: & ideo beata Virgo in peccato originali fuit concepta: propter quod B. Bernardus (epist. CLXXIV.) ad Lugdunenses scribit conceptionem illius celebrandam non esse, quamvis in quibusdam Ecclesiis ex devotione celebratur, non considerando conceptionem, sed potius sanctificationem; quæ quando determinate fuerit incertum est.

Ad primum ergo dicendum, quod si radix est sancta, secundum id quod est radix, & rami sunt sancti: quia *non potest arbor bona fructus malos facere*: Matth. VII. 18. unde Apostolus vult ibi probare quod si antiqui patres sancti fuerunt per fidem, & spem, populus ex eis secundum carnem descendens, sanctus erit, quando corda filiorum converterentur ad patres. Parentes autem beate Virginis radix ejus fuerunt per actum naturæ propagationi deservientem. Unde nisi natura in eis sanctificata fuisset, non potuit ex eis sancta proles concipi, sed vitia propter vitium naturæ in eis remanens. Non autem fuit in eis natura sanctificata.

Ad secundum dicendum, quod gratia sanctificans non omnino directe opponitur peccato originali, sed solum prout peccatum originale personam inficit: est enim gratia perfectio personalis; peccatum vero originale directe est vitium naturæ: & ideo non oportet quod gratia sanctificans à parentibus traducatur, si peccatum originale traducatur; sicut & originalis justitia, cui directe opponitur, traducta fuisset.

Ad tertium dicendum, quod concubitus quo beata Virgo concepta fuit, meritorius creditur, non per gratiam omnino purgantem naturam, sed per gratiam perficientem personas parentum: & ideo non oportuit quod in prole concepta, statim sanctitas esset, non propter repugnantiam actus matrimonii ad sanctitatem, sed propter repugnantiam vitii naturæ nondum curati.

### SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod sanctificatio beate Virginis non potuit esse decenter ante infusionem animæ, quia gratiæ capax nondum erat; sed nec etiam in ipso instanti infusionis, ut scilicet per gratiam tunc sibi infusam conservaretur, ne culpam originalem incurreret. Christus enim hoc singulariter in humano genere habet ut redemptione non egeat, quia caput nostrum est; sed omnibus

bus convenit redimi per ipsum. Hoc autem esse non posset, si alia anima inveniretur quæ numquam originali macula fuisset infecta: & ideo nec beate Virgini, nec alicui præter Christum hoc concessum est.

Ad primum ergo dicendum, quod hæc verba de Joanne Baptista dicuntur pro tempore illo quando ad ingressum matris Dei exultavit in utero quod fuit in sexto mense à conceptione ejus, ut verba Angeli ostendunt Luc. I. unde constat quod tunc animam rationalem habebat: & ideo vel per spiritum vitæ non intelligitur anima rationalis, sed respiratio exterioris aeris: vel dicitur spiritus vitæ, si de anima intelligitur, nondum inesse, quia nondum manifestabatur, per modum quo dicuntur res fieri quando innotescunt.

Ad secundum dicendum, quod loquitur de notitia approbationis, quæ quamvis sit tantum habentium gratiam, non tamen est eorum solum quando gratiam habent, sed ab æterno: unde talis notitia potuit esse Hieremiæ ante ejus formationem: non tamen sanctificatio; quæ tamen esse potuit ante egressionem ex utero: & ideo tempus notitiæ, & sanctificationis distinguit Dominus dicens: *Priusquam te formarem in utero, novi te; & antequam exires de ventre, sanctificavi te.*

Ad tertium dicendum, quod hæc puritas soli homini Deo debebatur; ut ipse quasi unicus redemptor humani generis nulla peccati servitute teneretur, cui competebar omnes à peccato redimere: unde non hanc puritatem, sed sub hac maximam Virgo mater ejus habere debuit.

### SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod beata Virgo ante natiuitatem ex utero sanctificata fuit: quod colligi potest ex hoc quod ipsa super omnes alios sanctos à peccato purior fuit, ut ex hac littera habetur, veluti divinæ sapientiæ mater electa, in quam nihil coquinatum incurrit, ut dicitur Sap. VII. Unde cum hæc puritas in quibusdam fuisse invenitur, ut ante natiuitatem ex utero à peccato mundaretur, sicut de Joanne Baptista, de quo legitur Luc. I. 15. *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris sue*: & de Hieremia, de quo dicitur Hierem. I. 5. *Priusquam exires de ventre, sanctificavi te*: non est dubitandum hoc multo excellentius matri Dei collatum fuisse.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum Augustini intelligendum est de regeneratione quæ fit per legem communem, quod notatur in hoc quod dicit: *Quia singuli efficiuntur templum Dei*: hæc enim sanctificatio fit per sacramenta, quæ per ministros Ecclesiæ dispensantur, quorum operationi qui in matris uteris sunt, subjacere non possunt. Sed Deus sacramentis gratiam non alligavit: unde præter hunc modum in matris uteris aliquos quodam privilegio sanctificat.

Ad secundum dicendum, quod si regeneratio quæ est per legem communem, sumatur, oportet verbum Domini quod dicitur Joannis III. 5. *Nisi quis In III. Sent. Tom. III.*

(a) Ex Edit. P. Nicol. (a) Ut citari solebat cum hæc scriberet S. Thomas, & etiam nunc inter opera Augustini ad appendix Tom. IV. habetur; sed hæretici Auctoris est, ut ex variis ejus locis aperte patet quæst. II. XIII. XXI. XLIII. LXXX. CIX. videturque illius esse qui super epistolas Pauli commentaria scripsit perperam S. Ambrosio adscripta, Hilarii nimirum Diaconi, qui Luciferi Calaritanus schisma propagavit. Quod autem ex Lib. de perfectione justitiæ subditur, æquivalenter tantum ibi habetur, non expresse sub finem, nec alibi occurrit; ut nec in Ambrosio quod ex illo interseritur, sed in Glossa nullius nomen præferente; quamvis tale aliquid ex Goffrido Abbate Vindocinensi colligitur serm. III. de nativ. Domini, Tom. XV. Biblioth. Patrum verbis paullulum immutatis.

renatus fuerit, intelligi de natiuitate ex utero, quæ simpliciter natiuitas dicitur; & hoc ipse textus sonare videtur, cum dicit: *Ex aqua, & spiritu*. Si autem sumatur pro quacumque regeneratione gratiæ, sic oportet intelligi de natiuitate in utero. Non tamen oportet quod regeneratio spiritualis quæ est per sacramenta, secunda dici non possit: quia illæ duæ in uno conveniunt, secundum quod contra tertiam dividuntur: utraque enim illarum naturalis est, hæc vero spiritualis.

Ad tertium dicendum, quod quamvis sanctificatio beate Virginis in utero expresse in Scriptura veteris & novi testamenti non legatur; tamen pro certo haberi potest ex his quæ ibi leguntur. Si enim Joannes, & Hieremias, qui Christum prænuntiaverunt, sanctificati sunt, multo magis Virgo quæ Christum genuit.

### ARTICULUS II.

Utrum beatissima Virgo per sanctificationem in utero fuerit totaliter ab originali mundata.

#### III. P. quæst. XVII. art. 3. & 4.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod per sanctificationem in utero Dei genitrix à peccato originali totaliter mundata non sit. Remota enim macula, reatus remanere non potest. Sed post sanctificationem originalis peccati adhuc reatus mansit in ea: quia si ante mortem Christi defuncta fuisset, divina visione caruisset. Ergo per sanctificationem à macula originali liberata non fuit.

2. Præterea. Nihil quod ad virtutem promovet, ei subtrahendum fuit cui virtutis perfectio debebatur, sed fomes ad virtutem promovet: unde & Paulo petenti à se carnis stimulum amoveri dictum est: *Virtus in infirmitate perficitur*. II. Cor. XII. 9. Ergo cum matrem Dei summa virtutis perfectio deceret, fomes ab ea per sanctificationem removeri non debuit.

3. Præterea. In littera Magister dicit, quod caro Christi, antequam conciperetur, obnoxia fuit peccato, sicut & reliqua caro Virginis. Sed caro non est peccato obnoxia nisi ratione fomitis. Ergo per sanctificationem in utero fomes ab ea remotus non fuit.

4. Sed contra. Beate Virgini aliquid ultra legem communem conferendum fuit. Sed sanctificatio quæ fit per legem communem, aufert culpæ maculam, fomite remanente. Ergo in beata Virgine fomitem ex toto removet.

5. Præterea. Corruptio fomitis est causa quare dicere non possumus: Peccatum non habemus: hoc enim Adam in primo statu dicere potuit. Sed, ut ex littera habetur, beata Virgo hoc dicere potuit. Ergo in ipsa fomes non fuit.

### QUÆSTIUNCULA II.

Uterius. Videtur quod per sanctificationem in utero, immunitatem à peccato actuali consecuta non sit. Sicut enim dicit Augustinus in Lib. de Quæst. vet. & nov. testam. (a) (quæst. LXXIII.) Maria, per quam

quam gestum est mysterium incarnationis Salvatoris, i. morte Domini dubitavit, non tamen in dubitatione permansit. Sed dubitatio de fide peccatum est. Ergo non fuit à peccato omnino immunis.

2. Præterea. Ambrosius dicit super illud Lucæ 1. *Spiritus Sanctus superveniet in te*: „ Spiritus Sanctus in Virginem superveniens mentem ipsius ab omni sordē vitiorum castificavit. “ Sed sordes vitiorum ex peccato consequuntur. Ergo beata Virgo post primam sanctificationem peccavit.

3. Præterea. Augustinus dicit in Libro de perfectione justitiæ: *Esse sine peccato, de solo Unigenito in hac vita dici potest.* Ergo de beata Virgine dici non potest.

Sed contra. Bernardus in epistola (CLXXIV.) ad Lugdunenses dicit: *Puto quod copiosior gratia sanctificationis in ipsam descendit, quæ non solum ortum ejus sanctificavit, sed eam ab omni peccato deinceps custodivit immunem.* Ergo per primam sanctificationem immunitatem ab omni peccato consecuta est.

Præterea. Sapientia 1. 4. dicitur: *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Sed Dei sapientia non solum animam Virginis intravit, sicut & de cæteris dicitur, Sap. VII. 27. *In animas sanctas se transfert*: sed & corpus ejus inhabitavit, carnem de ea assumens. Ergo in ea nullum peccatum fuit: quod colligi potest ex eo quod dicitur Cant. IV. 7. *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te.*

### QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod per secundam sanctificationem, quæ in conceptione Salvatoris fuit, confirmationem in bono consecuta non fuerit. Quod enim quis jam habet, adipisci ulterius non potest. Sed si beata Virgo ex prima sanctificatione immunitatem à peccato habuit, ex tunc confirmata fuit: non enim certitudo impeccabilitatis haberetur nisi per justitiam confirmatam. Ergo per secundam sanctificationem confirmationem gratiæ adepta non est.

2. Præterea. In nullo qui purus viator fuerit, liberum arbitrium confirmatum ad justitiam comprobari potest: potentia enim peccandi, & potentia moriendi ex eodem passu currere videntur, ut non prius tollatur potentia peccandi quam potentia moriendi. Sed beata Virgo, etiam postquam Salvatorem concepit, ante mortem suam pura viatrix fuit. Ergo in ea confirmatio justitiæ non fuit.

3. Item. Videtur quod nec tunc penitus à fomite liberata fuerit. Est enim unus effectus fomitis ut infecti fomite originale culpam in prolem generando transfundant. Sed si per impossibile ponatur beata Virginem alium post Christum ex carnali copula generasse, peccatum originale in illum transfudisset. Ergo in ea aliqua modo post secundam sanctificationem fomes remansit. Sed confirmatio unius oppositorum non potest contingere quamdiu aliquid de opposito remanet. Ergo beata Virgo confirmata non fuit per secundam sanctificationem.

Sed contra. Ambrosius dicit in Lib. de virgin.

(1) Vulgata vers. 4. *Et ecce implevit gloria Domini domum Domini, & cecidi in faciem meam*: cap. vero XLIII. vers. 11. *Et ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem. . . & terra splendebat à majestate ejus.* (2) *Al. cui.* (3) Vulgata: *hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago.*

Ex Edit. P. Nicol. (b) Nullus in Ambrosio talis Liber, nec apud illum sententia ipsa sub his verbis occurrit; sed sic tantum in Lib. de institutione Virginis cap. VI. *An vero Dominus Jesus eam sibi matrem eligeret, quæ virili semine aulam posset incestare celestem?* . . . Tale aliquid etiam Ildephonsus in Lib. de perpetua virginitate B. Mariæ cap. 11. Tom. IX. Bibliothecæ Patrum insinuat.

beate Virginis: (b) *Impossibile fuit uterum Virginis, quem Dei Filius inhabitando consecravit, alienæ copulæ coitu incestari.* Sed eadem ratione nec aliud peccatum in ea esse potuit. Ergo confirmata fuit.

Præterea. Ubi est plenitudo lucis, habitas ad tenebram non remanet. Sed in conceptione Christi beata Virgo tota lumine plena fuit, concipiens illum qui est splendor gloriæ Patris, Heb. 1. unde dicitur Ezech. XLIV. (1) *Ingressa est gloria Domini templum, & resplenduit.* Ergo post illam sanctificationem confirmata fuit.

### SOLUTIO I.

Respondeo. Ad primam quæstionem dicendum, quod duplex sanctificatio beate Virginis esse dignoscitur: prima quæ in utero sanctificata fuit; secunda in conceptione Salvatoris: & quia sanctificatio emundationem à culpa dicit, quæ sine gratia esse non potest, gratiæ autem est firmitatem quamdam facere; ideo effectus sanctificationis in generali est duplex, scilicet emundare, & confirmare: & quantum ad utrumque secunda sanctificatio perfecit primam. In prima enim, secundum quod ab omnibus communiter tenetur, à peccato originali quantum ad maculam, & reatum purgata fuit; sed de emundatione ejus à fomite diversimode opinantur. Quidam enim dicunt, quod per primam sanctificationem fomes ex toto sublatus est: (2) quibus contradicit quod in littera ex verbis Damasceni (de Fide Cath. Lib. III. cap. 11.) dicitur quod in secunda sanctificatione supervenit in eam Spiritus Sanctus, eam purgans; quod non potest intelligi nisi de purgatione à fomite: quia peccatum actuale non commiserat, ut dicit Augustinus (Lib. de nat. & grat. cap. xxxvi.) Et ideo alii dicunt, quod quantum ad aliquid purgata fuit à fomite in prima sanctificatione, & quantum ad aliquid fomes remansit: quod etiam diversimode distinguitur. Quidam enim dicunt, quod subtractus fuit in quantum est inclinans ad malum; remansit autem in quantum difficultatem est præbens ad bonum: quos duos fomitis effectus Apostolus notat Rom. 7. 19. dicens: *Non enim quod volo bonum, (3) hoc ago; sed quod odi malum, hoc facio.* Hoc autem non videtur posse stare: quia secundum idem ex quo est pronitas ad unum contrariorum, est difficultas ad alterum; sive sit habitus, aut forma aliqua, sicut gravitas trahit deorsum, & causat difficultatem in ascensu; sive etiam sit privatio, sive defectus, sicut debilitas virtutis motiva facit pronitatem ad casum, & difficultatem in progressu. Unde non potest esse ut fomes tollatur secundum quod inclinatur ad malum, & remaneat secundum quod causat difficultatem ad bonum. Et ideo dicunt alii, quod fomes est corruptio personæ, in quantum impellit ad malum, & in quantum facit difficultatem ad bonum; & sic penitus in prima sanctificatione subtractus est à beata Virgine. Est etiam corruptio naturæ, ratione cuius infectio originalis per actum naturæ in prolem transit, & sic remansit post primam sanctificationem; sic tamen ab eo purgata est in secunda, ut

### QUÆSTIO I.

#### SOLUTIO II.

prolem sine omni originali peccato conciperet. Hoc etiam non videtur esse conveniens: quia, sicut dictum est in II. Lib. (dist. xxxi. quæst. 1. art. 2.) corruptio originalis quantum ad id quod culpæ es, transit in prolem à patre; quantum vero ad id quod tantum pœnæ est, sicut sunt corporis passibilitates, transit in prolem à matre, quæ materiam ministrat. Unde non videtur esse causa quare Christus conceptus sit sine originali, purgatio matris à fomite secundum quod inficit naturam ejus; sed magis quia sine virili copula natus est: quam causam Anselmus assignat in Libro de conceptu virginali (cap. xi.) Defectus autem pœnales non necessitate, sed voluntate assumpsit. Et præterea cum idem fomes sit per essentiam qui est naturæ, & personæ corruptio, si remanet in quantum est corruptio naturæ, non potest essentialiter tolli fomes personam corrumpens. Unde relinquatur, ut alii dicunt, quod fomes per essentiam post primam sanctificationem remanserit; sed impeditus est per gratiam sanctificantem ne in peccatum inclinaret, aut à bono retraheret: contingit enim habitum aliquando ligari ne in actum exire possit, sicut scientia per ebrietatem, ut dicit Philosophus in VII. Ethic. (cap. v. & xi.) In secunda vero sanctificatione essentialiter fomes ille subtractus est.

Ad primum ergo dicendum, quod si Beata Virgo ante passionem Christi defuncta fuisset, ad Dei visionem non admitteretur, sicut nec alii antiqui patres: quamvis enim in eis remotus esset reatus ad personam pertinens, remanebat tamen reatus naturæ, qui per passionem Christi sublatus est.

Ad secundum dicendum, quod fomes non per se promovet in bonum, sed per accidens, in quantum est in natura corrupta; ex hoc enim quod inclinatur ad malum (quæ quidem inclinatio personæ parvum malum est) occasionem præbet vitandi maximum malum, scilicet superbiam. Si tamen hoc malum aliter vitaretur, simpliciter melius esset fomitem non esse; sicut comestio serpentis per accidens juvat, in quantum aliquem à lepra liberat, cuius tamen comestio homini sano simpliciter vitanda est. Et ideo Beata Virgini, quæ simpliciter sanata fuit à peccato, fomes ad perfectionem virtutis non contulisset, si ad malum eam inclinasset.

Ad tertium dicendum, quod caro Virginis ante conceptionem dicitur fuisse peccato obnoxia propter fomitem, qui essentialiter remanebat; quamvis impeditus esset, ut dictum est.

Ad quartum dicendum, quod illa sanctificatio Beate Virginis excellentior fuit sanctificationibus aliorum: quod sic patet. In sanctificatione enim quæ fit per legem communem in sacramentis, tollitur culpa, sed remanet fomes inclinans ad peccatum mortale, & veniale; sed in sanctificatione ex utero non manet fomes, secundum quod inclinans est ad mortale; sed tamen remanet inclinatio fomitis ad veniale, ut patet in Hieremia, & Joanne Baptista, qui peccatum actuale habuerunt, non mortale, sed veniale. Sed in Beata Virgine inclinatio fomitis omnino sublata fuit & quantum ad veniale, & quantum ad mortale: & quod plus est (ut dicitur) gratia sanctificationis non tantum repressit in ipsa motus illicitos, sed etiam in aliis efficaciam habuit, ita ut quamvis esset pulchra corpore, à nullo unquam concupisci potuit.

Ad quintum dicendum, quod necessitas peccandi saltem venialiter provenit in nobis ex inclinatione fomitis, quæ in Beata Virgine non fuit, fomine ligato, ut dictum est.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod sicut in prima sanctificatione fuit quædam inchoatio emundationis, remoto peccato originali quantum ad culpam, & ligato fomite; ita etiam fuit quædam inchoatio confirmationis: quia per gratiam sanctificantem immunitatem à peccato deinceps consecuta est: quæ quidem immunitas à tribus causabatur; scilicet ex ligatione fomitis, qui ad malum non incitabat; ex inclinatione gratiæ, quæ in bonum ordinabat, quamvis nondum per eam liberum arbitrium esset in fine ultimo stabilitum, sicut est in beatis, qui ad finem viæ pervenerunt; & iterum ex conservatione divinæ providentiæ, quæ eam intactam custodivit ab omni peccato, sicut & in primo statu hominem ab omni nocivo protexisset.

Ad primum ergo contra hoc objectum dicendum, quod dubitatio, quæ sonat infirmitatem fidei, sine peccato esse non potest; nec talis dubitatio in Beata Virgine fuit in tempore passionis; sed in ea remansit fides firmissima, etiam Apostolis dubitantibus. Sed fuit in ea quædam dubitatio admirationis, dum considerabat eum quem tam digne genuerat, sic ignominiose tractari.

Ad secundum dicendum, quod sordes vitiorum, à quibus in conceptione Salvatoris Beata Virgo castificata dicitur, non fuerunt aliqua peccata venialia, sed reliquæ quædam originalis peccati, sicut recedente habitu adhuc aliquæ dispositiones manent. Vel dicendum, quod castificatio à sordibus vitiorum non intelligitur remotio existentium, sed impedimentum futurarum sordium.

Ad tertium dicendum, quod esse sine peccato dicitur esse proprium Christo, quia ipse numquam nec actuali, nec originali macula infectus est. Sed Virgo mater ejus fuit quidem peccato originali infecta, à quo emundata fuit, antequam ex utero nasceretur; sed à peccato actuali omnino immunis fuit.

Alia duo concedimus.

#### SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod in secunda sanctificatione & emundatio, & confirmatio in bono quodam modo consummata est secundum perfectionem viæ; sed in assumptione ejus gloriosa consummata est secundum perfectionem patriæ: quod sic patet. In prima enim sanctificatione ablata fuit inclinatio fomitis remanente essentia ejus. In secunda vero fuit extinctus ipse fomes per essentiam, remanentibus adhuc pœnalitatibus ex peccato causatis, à quibus plene liberata fuit per gloriam assumptionis. Similiter etiam est ex parte altera. In prima sanctificatione gratia collata fuit ad bonum efficaciter liberum arbitrium inclinans, quamvis non esset sufficiens ad tollendum flexibilitatem liberi arbitrii in malum, quam etiam homo in primo statu habuit. In secunda vero sanctificatione gratia superaddita fuit, quæ ita potentiam liberi arbitrii implevit ut in contrarium flecti non posset, non quidem tollendo naturam libero arbitrio, sed defectum; sicut materia cæli ex eo quod subsistit forma; quæ omnem privationem ab ea excludit, non est in potentia ad corruptionem. Sed in tertia exaltatione ejus per gratiam perfectam in gloriam transeuntem fini conjuncta est, ex quo perfecta immobilitas causatur.

Ad primum ergo contra hoc objectum dicendum, quod in prima sanctificatione consecuta est immunitatem à peccato, non per gratiam confirmantem, sed per ligationem fomitis ad malum inclinantis, & per custodiam divinæ providentiæ, sine qua, etiam fo-

mite omnino extincto, peccare potuisset, sicut & Adam peccavit, nisi esset in ea gratia consummata.

Ad secundum dicendum, quod potentia peccandi aufertur dupliciter. Vel per hoc quod liberum arbitrium ultimo fini conjungitur, qui ipsum superimplet, ut nullus defectus in eo remaneat; & hoc fit per gloriam: unde in nullo puro viatore sic peccandi potentia solvitur, ut cum ablacione potentie peccandi tollatur potentia moriendi, nisi in Christo, in quo dispensative remansit, ad opus redemptionis complendum. Alio modo aufertur per hoc quod gratia tanta infunditur quae omnem defectum tollat; & sic in Beata Virgine, quando concepit Dei Filium, ablata est peccandi potentia, quamvis in statu viae ipsa Virgo remaneret.

Ad tertium dicendum, quod si per impossibile ponatur, Beata Virgine post secundam sanctificationem alium filium ex carnali copula conceperit, ille filius peccatum originale habuisset, non ex parte matris, sed ex parte patris. Si vero ponatur illum patrem pari modo sanctificatum fuisse, sicut Beata Virgo in sanctificatione secunda, ille filius peccatum originale non habuisset. Vel dicendum secundum aliam opinionem, quod neque in secunda sanctificatione fomes remotus fuit a Beata Virgine, secundum quod est infectio naturae. Neque hoc prohibet confirmationem eius in bono: fomes enim confirmationi opponitur, secundum quod est vitium personae, ad concupiscentiam actualem inclinans.

### QUAESTIO II.

Deinde quaeritur de potentia generativa Beatae Virginis: & circa hoc quaeruntur duo.

Primo. Utrum aliquid ad Christi conceptionem active operata sit.

Secundo. Utrum generatio filii ex ea sit naturalis, vel miraculosa.

### ARTICULUS I.

Utrum Virgo aliquid active ad Christi conceptionem operata fuerit.

#### III. P. quest. xxxii. art.

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod Beata Virgo aliquid active in conceptione Christi cooperata sit. Potentia enim pure passiva est receptiva tantum. Sed Damascenus dicit (Lib. III. de Fide cap. 11.) ut in littera haberetur, quod non tantum dedit Spiritus Sanctus Virgini potentiam receptivam Verbi, sed simul etiam generativam. Ergo oportet quod per potentiam generativam intelligatur virtus activa ipsius; & ita in conceptione Christi aliquid active operata est.

2. Praeterea. Hoc quod dicitur Luc. 1. 35. *Virginitas Altissimi obumbrabit tibi*, intelligitur quantum ad collationem alicujus virtutis supra eam quam naturaliter habebat. Sed Beata Virgo naturaliter habuit, sicut & aliae virgines, potentiam generandi per modum passionis, seu receptionis. Ergo potentia quam sibi Damascenus per Spiritum Sanctum dicit preparatam, est potentia activa, & sic idem quod prius.

3. Praeterea. Dicit Augustinus (X. de Genes. ad lit. cap. xx.) *Christus secundum hoc est filius matris*

Ex Edit. P. Nicol. (a) Cap. xiiii. non cap. xviii. ut prius nec eadem occasione qua hic, sed sic plenius. *Nimis absurdum intelligitur ut per illud semen quod non creata natura, nec voluntas creaturae, non ulli data potestas producit, aut seminat, sed solius Dei voluntas ad procreandum hominem nova virtute mundum a peccato de Virgine segregat, ne alieni peccati, seu debiti ad eundem hominem necessitas ulla pertranseat etc.*

quod accepit a matre. Sed dicitur filius matris secundum humanam naturam. Ergo humanam naturam accepit a matre; & sic Beata Virgo aliquid in conceptione operata est.

4. Praeterea. Beata Virgo fuit vera mater Christi. Sed non esset vera mater ejus, si tantum materiam ministrasset; non enim dicitur terra proprie mater hominis, quamvis limus, unde formatur homo, de terra sumptus sit: nec similiter dici potest lignum mater scamni, eo quod de eo sit. Ergo Beata Virgo non tantum ministravit materiam ad conceptionem Christi, sed aliquid active fecit.

5. Praeterea. Commentator in II. de Anima (comm. xxvii.) ponit hanc distinctionem potentiarum animae, quod potentiae nutritivae partis, omnes sunt activae; potentiae sensitivae, omnes sunt passivae; in intellectu autem est aliquid activum, ut intellectus agens, & aliquid passivum, ut intellectus possibilis. Sed potentia generativa ad vegetabilem animam pertinet: unde etiam plantis inest. Ergo est potentia activa. Cum ergo per potentiam generativam mater filium concipiat, videtur quod aliquid active in conceptione agat; & sic idem quod prius.

6. Praeterea. Motus naturalis est cujus principium est intra. Sed generatio filii ex matre, est naturalis. Ergo in ipsa materia, quam mater ministravit ad formationem conceptus, est principium aliquid active cooperans ad conceptionem, & sic idem quod prius.

Sed contra. Beata Virgo non fuit nisi mater Christi. Sed ad matrem non pertinet nisi ministrare materiam, non autem aliquid active operari, quod est patris. Ergo Beata Virgo nihil active ad conceptionem Christi operata est. Media probatur per hoc quod Philosophus dicit XV. de animalibus (sive de gener. anim. Lib. I. cap. xx.) *Vir dat animam, formam, & principium motus; femina dat corpus, & materiam, sicut accidit in lacte coagulato, quod corpus exit ex lacte, & coagulatio ex coagulo: & post pauca subdit: Manifestum est quod mas est operans, & femina patiens; sicut erit scamnum ex carpentario, & ligno.*

Praeterea. Augustinus dicit X. super Genesim ad litteram (cap. xx.) *Christus visibilem carnis substantiam de carne Virginis assumpsit; ratio vero conceptionis non a virili semine, sed longe aliter, ac desuper venit.* Sed virtus activa in conceptione dicitur ratio conceptionis. Ergo agens in conceptione Christi fuit tantum desuper, & non in Beata Virgine.

Praeterea. Anselmus dicit in Lib. de concep. Virg. (a) (cap. xviii.) *Illud subjectum non creata natura, non voluntas creaturae non ulli data potestas producit, aut seminat.* Ergo in Beata Virgine non fuit naturaliter, neque divino dono potentia active corpus Christi producens.

Praeterea. Nulla virtus creata subito operatur. Sed in conceptione Christi simul & subito factum est quidquid ibi factum est de organizatione, animatione, & hujusmodi. Ergo non fuit active, nisi per virtutem increatam.

### SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod circa hoc diversimodo

de opinatum est. Quidam enim dicunt in conceptione Christi matrem aliquid active operatam esse: quorum quidam hoc ponunt fuisse per naturalem modum, quidam vero per supernaturale donum. Cum enim Beata Virgo vera mater Christi credatur, oportet sibi attribui totum illud quod matris est. Ad officium autem matris pertinere aestimant ut aliquid principium activum ad conceptionem ministret, & non materiale tantum. Hoc tamen ponitur diversimode. Quidam enim in materia quam mater ministrat, ponunt esse virtutem activam principaliter: tum quia ex commixtione seminum conceptionem fieri ponunt; unde sicut semen viri est activum in generatione, ita & semen mulieris, quamvis non sit in ea tanta efficacia ad agendum; tum etiam quia ponunt conceptam prolem sensibiliter, & vegetari per animam matris, ut sic etiam principaliter inveniantur in generatione mater quam pater. Hoc autem Philosophus reprobatur in XV. de animalibus. (b) In his enim quae habent vitam perfectam, distinguuntur agens, & patiens in generatione propter perfectam generationem in eis. In plantis autem, quae imperfectam vitam habent, est in eodem utraque virtus, activa scilicet, & passiva: quamvis forte in una planta dominetur virtus activa, & in alia virtus passiva: propter quod dicitur etiam una planta masculina, & alia foemina. Cum igitur impossibile sit illud quod est determinatum ut patiens, habere virtutem activam respectu ejusdem, oportet quod foemina non sit agens in conceptione, sed tantum patiens.

Et ideo alii dicunt, quod id quod mater ministrat, se habet in generatione sicut materia naturalis. In materia autem naturali non est potentia passiva tantum (alias generatio esset violenta, & non naturalis) sed oportet inesse materiae ipsam formam quae per generationem adducenda est, in potentia, & secundum esse incompletum; & ideo non habet perfectam virtutem ad agendum, sed tantum imperfectam: & ideo per se non potest agere nisi quodammodo excitetur ab agente exteriori, & sic ei cooperetur. Hoc autem non potest stare: quia impossibile est idem esse alterans, & alteratum: unde non potest esse quod forma quae est in aliqua materia, agat in ipsam, sive sit perfecta, sive imperfecta: forma enim quae per se non existit, non agit; nec materia proprie patitur, sed compositum agit ratione formae, & patitur ratione materiae: & ideo non est possibile quod illa forma imperfecta in agendo cooperetur agenti exteriori. Praeterea agere sequitur ad esse perfectum, cum unumquodque agat secundum quod est in actu: unde oportet quod forma imperfecte existens in materia, prius perficiatur in esse per agens exterioris, quam detur sibi agere: unde non potest in agendo cooperari ad generationem per quam forma in esse perfectum adducitur. Et praeterea si esset de necessitate matris ut active ad generationem operaretur, Beata Virgo non posset dici mater. Cum enim conceptio illa tota sit simul facta, non potuit per aliquam creatam activam virtutem fieri: unde Beata Virgo non potuit active operari ad conceptionem; & sic non habuisset illud quod ad matrem pertinet, unde nec mater esset. Nec potest dici quod cooperata sit ad introductionem formae tantum, quae etiam secundum naturam in instanti inducitur. Inducens enim formam est nobilior quam preparans materiam per alterationem; & sic Spiritui Sancto attribueretur id quod minus est, & Virgini

id quod dignius est. Et praeterea forma substantialis ad quam terminatur conceptio, est anima, quae est actus totius, & omnium partium: unde remota ea, nec os, nec caro dicitur nisi aequivoce. Ad animam autem Christi constat nihil active. Beatam Virginem cooperatam esse.

Et ideo alii dicunt, quod Beata Virgo habuit aliquid plus ex supernaturali virtute quam aliae matres: materia enim quae ab aliis ministratur non potest seipsam complete in actum educere, nisi sit agens exterioris; sed materia corporis Christi, quam Beata Virgo ministravit, hoc habuit ex dono divino, ut posset seipsam formare per virtutem superadditam naturae. Sed non poterat in instanti hoc fieri: & ideo quia decebat conceptionem in instanti esse, praevenerit Spiritus Sanctus, subito formationem corporis Christi complens, quae tamen aliter, licet successive, completa fuisset. Istud autem non videtur conveniens. Primo quia si illa virtus non cooperata est ad formationem corporis Christi, frustra collata est: quod non contingit in operibus naturae; & minus in operibus miraculosis. Secundo quia Beata Virgo non eligebatur ut esset simul pater, & mater Christi, sed ut esset mater tantum; unde non oportebat ut in materia quam Virgo ministravit, conjungeretur hoc quod in aliis est ex parte patris, & matris. Tertio quia secundum activam vel passivam potentiam generandi nullus dicitur pater, vel mater; sed secundum quod potentia in actum procedit. Unde si in materia quam Virgo ministravit, fuit potentia activa quae exigitur ad patrem, & matrem, sine hoc quod virtus illa operata sit, non diceretur neque pater, neque mater; aut eadem ratione pater, & mater; quod absurdum est: nisi forte sufficiat ad esse matrem hoc solum quod materiam ministravit, quod non sufficit ad esse patrem: propter quod mater dicitur, & non pater; & hoc quidem videtur esse secundum intentionem Philosophi, secundum quam perfectissime salvatur virginitas matris, & vera maternitas: unde & fidei maxime consona est.

Hanc igitur viam tenendo, dicendum videtur, quod in conceptione prolis invenitur triplex actio. Una quae est principalis, scilicet formatio, & organizatio corporis; & respectu hujus actionis, agens est tantum pater, mater vero solummodo ministrat materiam. Alia actio est praecedens hanc actionem, & preparatoria ad ipsam: cum enim generatio naturalis sit ex determinata materia, eo quod unusquisque actus in propria materia sit, sicut in II. de Anima (text. xxvi.) dicit Philosophus, oportet ut formatio prolis fiat ex materia convenienti, & non ex quacumque. Unde oportet esse aliquam virtutem agentem per quam prepararetur materia ad conceptum. Sicut autem dicit Philosophus in II. Physic. (text. xxv.) ars quae operatur formam, principatur, & imperat ei quae preparat materiam; sicut ars compaginans navim, ei quae complanat ligna: & ideo virtus quae preparat materiam ad conceptum, est imperfecta respectu ejus quae ex materia preparata prolem format. Haec autem virtus preparans est matris, quae imperfecta est respectu virtutis activae quae est in patre: unde dicit Philosophus in XV. de animalibus (ut supra) quod mulier est sicut puer qui nondum potest generare. Tertia actio est concomitans, vel sequens actionem principalem. Sicut enim locus facit ad bonitatem generationis; ita & bona dispositio matricis operatur ad bonam dispositionem prolis, qua-

Ex Edit. P. Nicol. (b) Vel de gener. animal. Lib. I. cap. 11. & XXI.